(76)

Oldesworthio
Secretario
Comitis Pembrokii
S. P.

Valde tibi debeo Oldesworthi humanissime, quod hominem externum sed ~~fam~~ popularem meum tantâ statim hospitalitate dignatus sis. Scimus Batavi, quam tuis Barlaeus sit. At postquam is in Angliâ esse cœpit, ut Atonio, Seldeno, Iohassenio et imprimis tibi placeat parum viri meritis detulisse videmur. Interea referendis gratiis, quas Ill.mo Comiti, tibique debere me agnosco, nimis me imparem arbitratus, ipsius calamum admovendum censui, quo binas hasce quas addidi literas promtius effudisse miratus sum, quam tuas perlegisse credebatur, quas eodem die a me missas, illicò remisit. Totus totius eruditio est, ac mihi paucos antehâc vidisse contigit, qui tantâ Latinae dictionis facilitate excellerent. Tu si quid insignem encomiasten liberalitate regiâ meritum existimas, tuae id omne curae atque humanitati commissum scito, eidemque imprimis acceptum a me ~~fore~~ ferri, quantum promissis eâ de re hactenus beatus fuit. Vale mi Oldesworthi, et me ama tui praeamantem. Hagae. Postridie Cal: Iunij 1626. febricitans, quo te calamo negligentiori ut ignoscas rogo.

C. Hugenius.

(78)

G: Barlaeo.

Gratias tibi pro munere magnas ago. nec pro munusculo minores: quando semel ita statui, nihil nisi magnum a te proficisci, etiam cum te Laconismo includis, et amplissimum ingenium tuum paucis versibus. Itaque et Italiae tuae, cujus lustrandae per bibliopegum copia nondum facta est, jam nunc sic subscribo, ac si tua sit; quo solo encomio modestiae illi tuae gravis esse in posterum decrevi. postquam stupore quotidie novo obruere nos non desinis, ac de perculsis mutos aliquando is redditum. Iachaei multo stupuit foecundia luctus, nisi quod benignius pronunciandum est, linguam Tacitus arguisset. Mihi Logicum idioma sapere videtur, arida oratio, brevis illa certe, sed parum succincta quod, succulento vero minitere, culpabis ωά[illegible]ιαν hominis illiterati At ego ne ~~quidem~~ in hâc splendidâ quidem servitute quam servio, raram foelicitatem puto, Sentire quae velis, quae sentias dicere, quod amicum nullos non saeculo licenit. Vale vir Doctissime, et me ama.
Hagae: 18 Dec: 1626.

Valde Tuus.
C. Hugenius.

Barlaeo.